



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

XVII. Rudolph von Jericho schenkt dem Domcapitel das Dorf Damme, vor 1164.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

Premonstratensis ibi semper perseveret, auctoritate beati Petri et nostra confirmamus. Quod si quis hoc factum violare presumpserit, anathematis vinculo, donec respiscat, semper astrictus maneat. Acta sunt hec anno incarnationis dominice M. C. LXI. indictione IX. Hujus rei testes sumus: ego Arnoldus, abbas de Nienburg, decanus Hazeko majoris ecclesie Magdaburg, et tota ecclesia, que in eadem synodo presens fuit. Balderammus, prepositus beate Marie in Magdaburg, Conradus, prepositus de Hallo, Ekehardus, prepositus de Monte sereno, Albertus, marchio, Otto et Albertus filii ejus, Otto et Theodoricus, marchiones, Henricus, Dedo, comites, filii marchionis Conradi, Burchardus, castellanus de Magdaburg, Burchardus, comes de Valkenstein, Bedericus, comes, ministeriales Magdeburgensis ecclesie Richardus, Gernotus, Conradus et alii quam plures nec non et Reinerus, prepositus de Lieceke cum fratribus suis, qui illic presentes aderant.

Nach dem Originale.

XVII. Rudolph von Jericho schenkt dem Domcapitel das Dorf Damme, vor 1164.

Notum sit omnibus Christi fidelibus, tam futuris quam presentibus imperpetuum. Quod dignum et iustum est et hactenus ecclesiastico jure celebratur, ut pauperes Christi oblationibus fidelium sustententur, ego Rodolfus, divine retributionis intuitu et pro remedio anime mee, et patris mei et matris mee et domini Hartmanni, ecclesie Brandenburgensi contuli villam videlicet Dambe. Quapropter petimus, ut in eadem ecclesia memoria beati Johannis ante portam latinam celebri devotione agatur, et fratres ibidem deo regulariter servientes ipsa die de redditibus prenotate ville amplioris portionis impertionem percipiant, post obitum vero meum superioribus mutatis, die anniversarii mei pro memoria anime mee presignati beneficii collatione fratres resciantur. De cetero rogamus, ut prefati Hartmanni memoria in communi commemoratione animarum apud vos annuatim fraterne agatur. Amen.

Nach dem Originale.

XVIII. Markgraf Otto I. bestätigt dem Domcapitel die Schenkung des Dorfes Damme, am 2. Juni 1164.

Quoniam iustum est nobis, qui divitias hujus mundi accepimus, elemosynarum largitate amicos in deo facere, ut, cum res mundi deficiant, nos in eterna tabernacula recipiant, ego Otto, dei gratia Brandenburgensis marchio, villam Damba, a Rodolfo de Jhericho, fidei nostro, zelo dei resignatam, siquidem illam in beneficium tenuit, illam, inquam, Wiberto, Brandenburgensi ecclesie preposito et suis fratribus eorumque omnibus successoribus, Wilmaro, Brandenburgensi episcopo, decimas simul dante, perpetua stabilitate in usus necessarios cum omnibus appendiciis contradidi et hanc nostram donationem ad posteritatis memoriam per presentem paginam sigilli nostri impressione signatam confirmavi. Et ut hoc factum inconvulsum permaneat, majestatis imperialis consensu et auctoritate feci, sicut monstrat pagina privilegii, Brandenburgensi ecclesie ab honorabili